



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Statu Hominis Morali In Vita Et Post Mortem

Opfermann, Paul

Moguntiae, 1769

Quæstio VII. Utrum Indulgentiæ valeant pro defunctis, & quomodo?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40701

gentia, aut tempore persecutionis data fuit, aut infirmitatis, eâ tamen lege, ut vel convalescentes postea satisfacerent, aut intensioris doloris continuato usu, vel animi ad Martyrium præparatione compensarent.

Obj. V. Summi Pontifices in concessione Indulgentiarum nihil aliud requirunt, quàm executionem operis alicujus omnibus communis, nec ulterioris pœnitentialis satisfactionis mentionem inferunt, vel ergo decipiunt Fideles, vel præter executionem operum præscriptorum nihil aliud exigunt.

Respondent: CLEMENS VI. in Extrav. *Unigenitus*, declarat; Christum Ecclesiæ thesaurum concessisse verè pœnitentibus applicandum, & sæpe aliàs Pontifices veram pœnitentiam exigunt. Nemo autem est verè pœnitens, nisi qui habet propositum dignos pœnitentiæ fructus faciendi. Possunt etiam Pontifices ea duntaxat exigere opera, quæ ad finem Indulgentiæ à se intentum requiruntur, supponendo eas in suscipientibus dispositiones, quæ ad fructum Indulgentiæ integrè percipiendum aliunde sunt necessaria. Ferè sicut Sacerdos à peccatis absolvens pœnitentiam aliquam injungit, supponens pœnitentem aliis etiam viis pro peccatis suis satisfacturum esse, quam obligationem ex Jure divino ortam pœnitens ignorare non potest.

Q U A E S T I O VII.

*Utrum Indulgentiæ valeant pro defunctis?
& quomodo?*

Indulgentiis posse juvari animas, quæ in Pur- 214
gatorio pœnas luunt, certissimum est, & apud Jura
Catho-

ri
pos-
sunt
ani-
ma in
Pur-
gato-
rio.

Catholicos indubitatum. Est enim de Fide Catho-
lica, Fidelium animas in Purgatorio detentas Fi-
delium vivorum suffragiis juvari posse, h. e. elee-
mosynis, precibus, jejuniis, Sacrificiis Missarum,
aliisque piis operibus: quodsi autem privati homines
possunt applicare defunctis tamquam membris ejus-
dem corporis satisfactiones suas, cur Summus Pon-
tifex iisdem applicare non possit satisfactiones Chri-
sti & Sanctorum, quæ sunt in thesauro spirituali,
cujus ipse est dispensator? id ipsum confirmatur ex
usu Ecclesiæ: nam Summi Pontifices concedunt
Indulgentias mortuis applicandas, quæ in toto Or-
be Catholico recipiuntur, cum scientia, con-
sensu & approbatione Episcoporum omnium. Ne-
que usus hic novus est, cum PASCHALIS I. circa
initium Seculi IX. jam concesserit Indulgentiam
pro defunctis, quæ habetur in Ecclesia S. *Praxe-
dis.* JOANNES VIII. tribuit Indulgentiam his, qui
in bello contra Paganos anno 878. occubuerant,
vel in futurum occumberent. Eandem gratiam à
JOANNE IX petierunt Bojariæ Episcopi pro *Arnul-
fo* Imperatore mortuo. Quod idem præstitere SIX-
TUS IV. INNOCENTIUS VIII. PIUS II. CALIXTUS, &
qui his successerunt, Pontifices. Atque hanc ad-
sertionem dicit SUAREZ nunc ita in Ecclesia certam
esse, ut sine errore negari non possit.

*) Quod de Fide Catholica non sit, *Ecclesiam posse
concedere defunctis, quæ sit vera Indulgentia, id est, re-
missio pænæ;* VERONIUS ita probat: Quia nihil eorum
habet nec Professio nostra, nec Tridentinum. 20 Quis
variant in hac re Doctorum explicationes. Alii Catholi-
ci (ita refert SUAREZ *Di/p.* 49. *Secl.* 1) dixerunt Eccle-
siam posse concedere Indulgentiam, non autem defunctis.

Et

DE INDULGENTIIS. 701

Et *Disp.* 53. *Sect.* 1. Inter Catholicos *Ostiensis* negavit simpliciter, Indulgentias prodesse defunctis, quem secutus est *Gabriel*; idem tenuit *Gerson*. Quia Indulgentiæ, ait *Gerson*, ordinatæ sunt pro iis, qui submitunt se curiæ misericordi, quæ durat usque ad mortem, non verò post mortem. Et confirmatur. Nam concessio Indulgentiæ est actus Jurisdictionis: sed Pontifex non habet jurisdictionem in Purgatorium, quia non est Judex illarum animarum, sed à Christo immediatè judicatæ sunt, & ad illas pœnas ligatæ. Idem *SUAREZ* *sect.* 3. ait: Putant aliqui, quòd Indulgentia per modum suffragii non est omnino infallibilis. sed pendeas semper ex libera acceptatione & misericordia Dei. Et confirmatur, nam etiam privata suffragia pro defunctis oblata non habent tantam efficaciam, ut infallibiliter acceptentur. Immo aliqui putant ipsum Sacrificium Missæ illam non habere, nec esse aliquod opus, quod ex opere operato liberare possit animas defunctorum ab illis pœnis lege certa & infallibili. Denique de hoc necdum habemus divinam promissionem, in qua sola hæc infallibilitas fundari possit. Hanc sententiam docuit *Cajetanus*, & eam secutus est *Cano*, & eam etiam magis probat *Corduba*. Ita *VERONIUS*. Et *VASQUEZ* (addit ibidem) 3 p. *Disp.* 228. c. 4. *Sotus*, *Cano*, & *Corduba* censent, Sacrificium Missæ circa vivos certa lege semper operari remissionem pœnæ; circa defunctos verò existentes in Purgatorio non item; sed illis solum ad hunc effectum valere per modum suffragii: vocant autem per modum suffragii idem, quod instar suffragii: ut quemadmodum, inquit orationes vivorum defunctis solum prosunt, prout Deo placuerit eas acceptare, neque certa lege statuerit, propter illas remittere defunctorum pœnas; ita etiam Sacrificium Missæ defunctis prosit. Idemque de Indulgentiis, quæ defunctis conceduntur, adfirmant.

Indulgentiæ valent pro defunctis per modum suffragii tantum, non per modum absolutionis judicariæ. Id satis colligitur ex Bullis Summorum Pontificum, qui ubi Indulgentias ad defunctos extendunt, ordinariè addunt: *per modum suffragii*, *Per modum suffragii*, ut

ut constat ex Constitutionibus *Alexandri VI. Clementis VII. Julii III. & Gregorii XIII.* de indictione Jubilæi. Et sanè Ecclesia non habet Jurisdictionem in defunctos, qui justo Dei judicio jam judicati sunt, ideoque nec mortuorum animas vocare in iudicium potest, nec earum causas cognoscere, nec cogere ad obedientiam. Neque Pontifex habet auctoritatem nisi in oves, quas pascendas suscepit, juxta illud *Joann 21. Pisce oves meas.* Defunctorum verò animæ à Pontifice pasci nequeunt, quia nec doctrinam ab eo, nec Sacramenta, nec leges & jura percipere valent. Nempe Pontifex uti Ecclesiæ visibilis Caput visibile est, ita nec Judex & Pastor est nisi Ecclesiæ visibilis. Igitur defunctis profunt Indulgentiæ non per modum absolutio- nis judiciariæ, quia Pontifex Indulgentiam concedens non remittit proximè & immediatè pœnam tamquam Minister Dei, & Judex solvens divinæ justitiæ ex thesauro sibi commisso; sed profunt per modum suffragii satisfactorii, quatenus Deo offeruntur satisfactiones Christi & Sanctorum quasi pretium, quo defunctorum animæ redimuntur à pœna, quam Deus solus immediatè remittit. Atque hoc adsertum meritò *Dogma Ecclesiasticum* dici potest.

216. *Utrum Indulgentiæ defunctis profint certâ & infallibili lege, & ex quadam justitia; an verò ex benignitate & misericordia Dei, ideoque non ex condigno, sed ex congruo; in utramque partem disputatur.* S. THOMAS, S. BONAVENTURA, SUAREZ aliique plures docent, Indulgentias infallibiliter prodesse illis, pro quibus à Fidelibus applicantur, idque propter pactum quoddam Dei cum Christo

Christo initum, & promissionem Christi absolutè factam PETRO ejusque Successoribus, *Matth. 16. Tibi dabo claves Regni cœlorum . . . Et quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Quibus verbis nititur potestas Indulgentiarum tam pro defunctis, quàm pro vivis: proinde æque infallibiliter pro utrisque valet legitimum illius potestatis exercitium, quod semper apud Deum ratum & validum est, quodsi legitimè & ex rationabili causa fiat. Atque huic sententiæ tamquam probabiliori accedit VERONIUS, & SUAREZ *Disput. 53. Sect. 3. Verius*, inquit, *censeo Indulgentiam concessam pro defuncto infallibiliter habere in illo effectum, sicut habet in vivente, quando pro illo conceditur.* Idem sentit VASQUEZ. Ut vero Indulgentiæ defunctis profint, requiritur 1^o. ut concedantur summâ autoritate Sedis Apostolicæ: nam Episcopi eas nonnisi subditis suis tribuere possunt. 2^o Causa justa & rationabilis, pertinens ad honorem Dei, & Ecclesiæ utilitatem. 3^o. Ut qui pro defunctis Indulgentias suscipit lucrandas, injunctum opus *debito modo* adimpleat. Quamvis autem ex communi doctorum, tam suffragia, quàm Indulgentiæ profint defunctis omnibus quoad gaudium quoddam accidentarium (nam charitas facit omnia communia in hoc sensu; quòd qui illâ præditi sunt, gaudeant de bonis aliorum, ac si propria essent) quoad satisfactionem tamen & liberationem à pœnis suffragia particularia & Indulgentiæ, quæ pro certis animabus suscipiuntur, non profunt nisi illis, quibus ex intentione viventium applicantur. Idque perspicuum fit ex ipsis Pontificis Concessionibus. Nam PASCHALIS I. Indulgenti-

gentiam ita concessit, ut, qui pro anima Patris, vel alterius particularis personæ defunctæ tot Missas celebraverit in capella S. Zenonis, quæ est in Ecclesia S. Praxedis, animas illas de Purgatorii pœnis eripiat. Similiter ALEXANDER VI. CLEMENS VII. in Constitutionibus de indictione Jubilæi, disertis verbis dicunt, Indulgentias illas anni Jubilæi extendi per modum suffragii ad animas Patris, vel matris, vel alterius personæ particularis, pro quibus suscipientur. Isque communis est Fidelium sensus.

Respondetur ad objecta.

Obj. I. Potestas concedendi Indulgentias est potestas clavium: hæc autem ad defunctos se non extendit. *Resp.* Potestas clavium est etiam potestas dispensativa thesauri Ecclesiæ constantis ex meritis & satisfactionibus Christi ac Sanctorum, quæ tam mortuis, quàm vivis, licet diverso modo applicari possunt. Nam potestas clavium est potestas aperiendi cœlum, ideoque tollendi omne impedimentum consequendæ beatitudinis, qualis est reatus pœnæ temporalis istam consecutionem retardans. Potestas hæc dispensativa reducitur ad potestatem Jurisdictionis, in quantum præsupponit eum, à quo manat, habere potestatem Jurisdictionis in Ecclesia.

Inst. Potestas clavium nihil aliud est, quàm potestas retinendi peccata, vel ab illis absolvendi. Hæc enim communis est interpretatio verborum Christi apud *Matth. 16. c. v. 16.* *Resp.* Potestas clavium adæquatè sumpta est multiplex ratione effectus:

clūs: nam 1^o. continet potestatem docendi cum auctoritate, quæ ad fidem & mores pertinent. 2^o. Potestatem regendi Ecclesiam per leges universales, quibus Fideles omnes obedire teneantur. 3^o. Potestatem remittendi aut retinendi peccata, eaque puniendi in Sacramento pœnitentiæ. 4^o. Potestatem ligandi & solvendi per censuras ecclesiasticas. 5^o. Potestatem remittendi pœnas divinæ justitiæ debitas, vel pro iis offerendi pretium per Indulgentiarum concessionem. 6^o. Potestatem dispensandi in votis & juramentis nomine Dei. Quod si verba illa Christi de potestate retinendi & remittendi peccata communiter intelligi soleant, inde fit, quia hæc potestas cæteris eminentior est, nec tamen illæ excluduntur.

Obj. II. Potestas largiendi Indulgentias pro mortuis non fundatur in Scripturis Sanctis. *Resp.* At fundatur in usu Ecclesiæ, & communi Fidelium sensu. LEO X. inter cæteros Lutheri errores istum quoque damnavit: *Sex generibus hominum Indulgentiæ non sunt necessariae, nec utiles, videlicet mortuis, &c.* Sed & continetur in verbis Christi *Matth. c. 16.* Equidem TRIDENTINUM in Decreto de Indulgentiis expressam mentionem Indulgentiæ pro mortuis non fecit; generatim tamen definivit, Indulgentias ab Ecclesia concessas esse utiles, omnibus videlicet illis, quibus Ecclesia eas largitur: at Ecclesia pro mortuis etiam Indulgentias concedit; igitur his quoque utiles sunt. Ubi *observa:* ut Indulgentiæ profint defunctis, debent specialiter pro illis concedi, nam iis duntaxat utiles sunt, pro quibus conceduntur.

duntur. Hinc si Indulgentia generatim concedatur pro omnibus Fidelibus, in ea non comprehenduntur mortui, quia Fidelium nomine simpliciter intelliguntur soli viventes, vel quia illi soli simpliciter sunt in statu Viatorum; vel quia illi soli subiunguntur potestati clavium adæquate sumptæ. Immo Indulgentiæ etiam pro mortuis concessæ, ut illis profint, debent ipsis à Fidelibus vivis applicari, quia animæ defunctorum illas pro se lucrari non possunt, cum opera inuncta per se nequeant præstare. Ideoque Indulgentiæ fructus debet illis à Fidelibus vivis applicari, qui per executionem operis præscripti Indulgentiam ipsam lucrantur.

Obj. III. De pœnis Purgatorii subeundis jam lata est sententia definitiva, igitur illæ nequeunt amplius relaxari. *Resp.* Sententia illa non est absoluta, sed conditionata, scilicet ut anima istas pœnas usque ad novissimum quadrantem luat, nisi ipsi applicentur satisfactiones alienæ, quibus fiat solutio justitiæ divinæ. Idque à posteriori colligitur tum ex definitione Ecclesiæ, quæ Fidelibus omnibus credendum proposuit, Fidelium animas in Purgatorio detentas Fidelium vivorum suffragiis juvari posse; tum ex usu Ecclesiæ Indulgentias pro mortuis concedentis.

Obj. IV. Si Indulgentiæ valent pro defunctis per modum suffragii tantum, igitur eo modo valebunt, quo viventium preces defunctis prodesse possunt, *h. e.* per modum meriti de congruo, vel per modum impetrationis. *Resp.* Adde etiam: *per modum satisfactionis.* Nempe suffragium generatim est auxilium quoddam, quod unus Fidelis præ-

præstat alteri ad obtinendam à Deo remissionem pœnæ temporalis, vel quid ejusmodi, quod fit per preces, jejunia, eleemosynas, aliave pia opera. Suffragia vivorum tribus modis defunctos juvant, sc. per modum meriti de congruo, per modum impetrationis, & per modum satisfactionis. Indulgentiæ autem non prosunt mortuis nisi per modum suffragii satisfactorii: sunt enim communicatio & applicatio alienæ satisfactionis pro defuncto ad obtinendam ei remissionem pœnæ temporalis Deo debitæ ob peccata jam quoad culpam remissa. Meritò itaque rejicitur opinio eorum, qui dicunt Indulgentias prodesse defunctis per modum suffragii, quia prosunt illis suffragia, *h. e.* preces, Missas, & alia pia opera, quæ Pontifex Indulgentias concedens injungit; hoc enim non est Indulgentias prodesse, quia etiamsi Pontifex ea opera non injungeret, valerent adhuc illa suffragia ad refrigerium defunctorum, sicque frustra darentur Indulgentiæ defunctis. Proinde Indulgentiæ præter suffragiorum valorem aliquid superaddunt. Alii sic explicant, Indulgentias defunctis prodesse per modum suffragii, quia tametsi ipsæ Indulgentiæ re vera prosint; prosunt tamen per suffragia viventibus imperata; nam Pontifex applicat satisfactiones Christi & Sanctorum ex thesauro spirituali tam vivis, quàm defunctis: & illis quidem applicat per opera ipsis viventibus injuncta; his autem per opera iisdem viventibus imperata; quæ opera cum fiant nomine defunctorum, quædam defunctorum suffragia dici possunt. Sed neque hoc est Indulgentias prodesse per modum suffragii, sed est prodesse per ipsa suffragia. Igitur vera est sententia,

708 DE INDULGENTIIS.

quæ adserit Indulgentias prodesse defunctis per modum solutionis & suffragii satisfactorii, quia indulgentiæ non sunt nisi satisfactoriæ. Pontifex nimirum Deo offert pro animabus in Purgatorio detentis ex thesauro satisfactionum, quantum necesse est ad eas liberandas: & Deus acceptans alienam satisfactionem communicatam animabus defunctorum, easdem à reatu poenæ absolvit. Juvat præterea hoc loco notare discrimen inter suffragia privatorum & Indulgentias. Nam 1^o. ad Indulgentiam dandam requiritur Juris dictio, quia thesaurum dispensare non potest, nisi qui habet claves ecclesiasticas; non item Jurisdictio requiritur, ut suffragia offerantur. 2^o. Offerens suffragia nequit semper tantum offerre, quantum sufficit, & requiritur, ut remittatur poena integra defuncti animæ debita. At Summus Pontifex tantum ex thesauro illo infinito offerre potest, quantum requiritur ad integram perfectamque solutionem.

Jubi.
laum.

*) *Jubilæum est Indultum Pontificis Indulgentiam plenariam, & magna privilegia tribuens certa opera in Brevi præscripta præstantibus.* Notio hæc complectitur Jubilæum tam *ordinarium*, quod hodie vigesimo quinto quoque anno Christi Fidelibus conceditur; quàm *extraordinarium*, quod sæpe per quindecim duntaxat dies concedi solet. Non desunt, qui Jubilæi originem usque ad Apostolorum tempora referant. Certiora sunt, quæ à Seculo XIII. habentur Summorum Pontificum monumenta. BONIFACIUS VIII. anno 1300. decreverat Jubilæum celebrari centesimo quoque anno. CLEMENS VI. in Extrav. *Unigenitus*, anno 1350. decrevit, ut quinquagesimo quoque anno instar *Mosaici* (*Lev 25.*) celebraretur. Sed PAULUS II. in Bulla, *Ineffabilis*, anno 1470. statuit, ut propter humanæ vitæ brevitatem vigesimo quinto quoque anno celebraretur, prout hæcenus servatum fuit.

*) Ju-

DE INDULGENTIIS. 709

β) Jubilæum continet plenariam Indulgentiam, & fa^r Favores prorsus insignes, nam Confessariis approbatis con^r res il- fert fa^r ultatem absolvendi à reservatis, etiam in Bulla Cœ^r lius, næ contentis, vota^rque commutandi, exceptis castitatis, & Religionis. Aufert tamen, & suspendit Indulgentias omnes, quæ retardare possunt Jubilæi consecutionem. Cujusmodi sunt Indulgentiæ omnes plenariæ directè pro vivis concessæ. Probabile tamen est, Indulgentias non plenarias perseverare, tum quia hæ accessum ad Urbem non impediunt; tum quia Bullæ Clementis VI. Sixti IV. Julii III. & Gregorii XIII. plenariarum duntaxat suspensionem exprimunt; & licet Pontificum sequentium Bullæ non exprimant; hoc ipso tamen, quòd Prædecessorum suorum exemplo se Indulgentias suspendere edicant, eo etiam modo illas suspendere censendi sunt, quo ab illis fuerant suspensæ. Sed tamen BENEDICTUS XIV. in Constitutione: *Cum nos nuper*, de Jubilæo anni 1750. expresse suspendit etiam non plenarias. Neque etiam suspenduntur Indulgentiæ Stationum, & aliæ concessæ Basilicis & Ecclesiis Romanis. Minimè autem suspenduntur Indulgentiæ pro mortuis immediatè concessæ; quæ tamen vivis conceduntur applicabiles pro defunctis, ex Clemente X. suspenduntur. Hanc suspensionem effugiunt Indulgentiæ pro articulo mortis concessæ. Videatur P. DOMINICUS VI. VA S. J. in Diff. de Jubilæo. Plura hanc in rem nunc scribere, Operis Scholastici angustiæ vetant. Quæ verò cumque à me scripta sunt, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Judicio integrè perfecteque subjecta sunt.

F I N I S.

Collegii Paderbornensis
Societ. Jesu



1773

DE REBUS GENTILITATIS

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Collegio de ...

...

...